

452

450

456

446

461

441

401

351

437

locum transeundi darent, et viam liberam sibi facerent, hastam
vibravit, et directe contra faciem meam eam direxit, cui prop-
ter multitudinem locum dare non potui, nec de asino cadere,
sicut libenter fecisset. Et ita ictum venientis contra me
coactus fui exspectare cum magno terrore et timore. Veniens
autem forti ictu pileum de capite meo cum ferro acuto avulsit,
et deridens praeteriit. Fui autem laetus, quia mansi illaesus,
et tristis de asino descendit in tumultu ad quaerendum pileum,
quem quidam peregrinus levaverat, et mihi eum reddidit. Fui
bene contentus, quod ille artem tangendi cuspide rem, prout
voluit, bene scivit, quia, si pro uno transverso digito (B)
magis basse vibratam tenuisset, testam cerebri mihi perforas-
set. Erant autem illi nequam servi illorum, qui nos pecunia
mulctaverant, et cum laetitia ad dominos suos exhibant con-
gaudentes eis de pecunia accepta et nobis insultantes.

De ingressu peregrinorum in Bethlehem in ecclesiam nativitatis Christi.

Cum prope essemus civitatem Bethlehem per jactum
arcus ab ejus introitu, venimus ad locum, in quo erat cisterna
David, quae ideo dicitur cisterna David, quia, ut habetur 2.
Reg. 23. David de ea desiderabat bibere, cum esset in praesi-
dio, et ipsa cisterna esset circumsepta inimicis, quo tamen
non obstante tres fortes de exercitu David irruperunt castra
Philistinorum et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem,
quae erat juxta portam, et attulerunt ad David, qui eam bibere
noluit, sed Domino eam libavit. Est enim cisterna grandis,
profunda et lata caverna, habens superius tria ora, sive tria
foramina ab invicem distantia, per quae aqua de eodem lacu
hauritur, et continet aquas copiosas, claras, sanas et frigidas,
de quibus hausimus et bibimus. Vulgus tamen et incolae
Bethlehem nunc abominantur et horrent aquas illas, quia
quaedam mulier sarracenica aquam haurire volens ante paucos
dies et incaute agens per os cisternae illapsa in aquam
cecidit et mortua extracta fuit. Ab illa cisterna venimus ad
latus civitatis benedictae Bethlehem, sed non sumus eam
ingressi, et ad latus ejus transivimus contra orientem, et per

Ende

Anfang

